

P I S A

1 6 0 8





EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

*Hd. 11.*





DISPUTATIO VI.  
EXERCITATIONVM ETHICARVM  
De  
OBIECTO VIR-  
TVTVM MORALIVM, VIDE-  
LICET AFFECTIBVS, TRISTICIA,  
Metu, Odio, Irâ cognatisq; affectionibus

Quam

DEO DVCENTE ET DOCENTE,

In Illustri Academia VVitebergensi

PRESIDE

M. HENRICO VELSTENIO

Philosophiæ Moralis Professore publico,

Defendendam suscipiet.

THEODORVS BERGMAN HILDE-  
siâ-Saxo.

25. Aprilis horis locoq; consuetis.

Lud. Vives.

Magna cura adhibetur curando corpori: major ad-  
hibenda est animo, quò hujus morbi & occultiores  
& graviores & periculosiores sunt.

WITEBERGÆ

Typis Mullerianis Anno 1607.



Viris

AMPLISSIMIS, PRVDEN-  
TISSIMIS, CONSVLTISSIMIS, PIETA-  
te, Doctrinâ & autoritate clarissimis,  
SPECTATISSIMIS,

DN. CONSVLIBVS, SENATORI-  
bus, Camerariis, & reliquis celeberrimæ Hil-  
desheimensium Reipub. Senatus Patri-  
bus Patriæ :

Dn. Patronis ac Mæcenatibus meis omni obser-  
vantia studio perpetim colendis,

*Positiones hæcæ Ethicæ gratis  
animi monumentum*

offerre  
voluit, debuit

*Theodorus Bergman Hildes. Resp.*



## Continuatio.

**B**ene Zabarella inquit 2. post, analyt. tex. 30. Fieri non potest, ut qui unum contrariorum perfecte cognoscit, is alterum simpliciter non cognoscat. Nec minus eleganter, Piccol. g. 2. Phil. moral. cap. 12. Ex notitiâ unius oppositi elicitur cognitio alterius. Plenius enim opposita suis contrariis elucescunt, velut ab acerbis vinum potum dulcius videtur. Ex Arist. 2. Rhet. cap. 13. Quo nomine reprehenduntur, 2 de anima, Veteres nonnulli, qui cum multa de scientiâ differuissent, de ignorantia nullum verbum fecerunt. Piccol. g. 9. c. 49. Postquam ergo hætenus affectus istos excussimus, circa objectum bonum qui occupantur: jam superest, ut expendamus & perpendamus etiam & illos affectus qui sunt ex objecto malo. Quamvis verò isthæc de affectibus pertractio sit Physices propria, ut progressâ velitatione prolixè facti fuimus: interim tamen & practicus Philosophus subjectum suæ operationis, h. e. & animum & affectus non omnino debet ignorare, sed aliquatenus cognoscere. Zab. l. 2. de Nat. Log. cap. 4. Quemadmodum enim Medicus scienter non sanat eam partem corporis, quam nescit: ita Philosophus sapienter non tractat eam partem mentis, quam ignorat, Arist. 1. Ethic. cap. 13. Proinde de residuis hisce affectibus plenius Physicus: nos de hisce in præfenti conflictu pro ratione nostri instituti strictim & breviter.

## THESIS I.

**Q**uemadmodum affectus, ex objecto bono orti, levi & amico spirituum & caloris motu cor cientes naturam sentientis animantis fovent & conservant: ita affectus ex objecto malo ortu motuq; insuavi & aspero cor cientes naturam ledunt, vastant, destruunt. Valerius in descript. Eth. cap. 3. Jacob. Lorhard. in tab. Phys. pag. 149.

II. Sunt verò hi affectus ex objecto malo, quos nos hæc vice percensebimus: Tristitia, Metus, Odium, Ira &c. Valer. l. d.

III. Distinguntur à se invicem. Duo enim prioris affectiones sunt simplices, eo quod eorum idea seu forma unius tantum est generis,



ab uno namq; commoventur malo & ingrato objecto, presente quidem, unde Tristitia; futuro verò, unde Metus exoritur. Posteriores mixti sunt generis. Iacob. Lorhard. l. d. p. 150.

## DE TRISTITIA.

IV. Tristitia est motus cordis, ortus ex coarctatione spirituum & compressione thalamorum cordis propter aversionem objecti in presenti urgentis, seu: Tristitia est motus cordis, quo se contrahit & constringit, retractis nimirum ad principia sua spiritibus ut malum præsens evitet. Scal. Exer. 313. Valer. l. d. c. 8.

V. Oritur verò Tristitia I. Ex mali alicujus præsentia. 2. Ex absentia boni. Vtrumq; tamen refertur ad malum animo præsens. Thom. prim. secund. q. 30. a. 1. Valer. l. d.

VI. Fructus seu effectus hujus affectus varij quidem & variè recenseri possunt; nos hic quatuor duntaxat, quasi levi digito attingemus.

VII. 1. Magis nocet valetudini corpori & animo, quàm ullæ aliæ affectiones. Thomas prima sec. summæ Theol. q. 30. a. 4. Scultet. c. 2. Valesius in Philosophia sacra cap. 72. pag. 4. 2. 5. Bene ergo sapientissimus ille Rex Solomon. passim in Proverbiis: Tristitia (inquit) nocet cordi, Prov. 25. v. 20. Spiritus tristis exsiccat ossa, Prov. 17. v. 22. In mœrore animi deijcietur Spiritus, Prov. 15. v. 13. Et crebra sunt Ecclesiastici monitiones: Tristitiam non des anima tua, & mœrorem longe abs te depelle: multos enim occidit Tristitia, c. 20. v. 22. & 25. Ne des animam tuam tristitia: siquidem mœror mortem affert, animiq; agritudo vires insleat, c. 38. v. 1. &c. Quemadmodum enim (inquit Isidorus) Vestimentum tinea, & vermis lignum devorat: ita tristitia cor hominis exedit. Latitia bonam valetudinem facit: viri verò tristitiâ exarescunt ossa. Et præclare Maximus Tyrius: Dolor ubi subierit corpus, ejusq; partibus se insuderis, naturalem substantiam perturbat, non secus ac in ferrum ignis inductus.

VIII. 2. Compressionem inducit cordi, & si habenæ nimis laxentur sequitur oppressio & interitus repentinus: siquidem cor circumvirgato sanguine suffocatur. Scult. l. d. Exemplo fit. 1. Rutilius de quo Plinius l. 7. c. 36. 2. Rufciatus Suevus, de quo Iovius lib. 39. 3. Pomperanus, de quo idem Iovius: qui omnes ex repentino dolore illico interierunt.

IX. 3. Ex-



IX. 3. Extrudit lacrymas, nisi quis sit sicciore cerebro, vel dolor ita excedat ut omnem calorem circa cor comprimat vel omnes Spiritus transmittat ad cerebrum, totumq; illius humorem conficiat, antequam solvatur in lacrymas. Expressit hoc Ovidius in Hecuba:

Troades exclamant: obmutuit illa dolore:  
Et pariter vocem, lacrymasq; introrsus obortas  
Devorat ipse dolor, duroq; simillima saxo  
Torpet: & adversæ modo figit lumina terræ.

X. 4. Impedit omnes animi functiones atq; corporis; adeo ut in tristitia constituti, ad agendum inepti & quasi vinculis quibusdam constrikti videamur. Thomas l. d. q. 37. a. 1. Savon. Ep. Phys. l. 15. Concl. 35. Scultetus l. d.

XI. Cæterum ut non omnis voluptas vitiosa est, si videlicet non extra legitimum evagetur thorum Lact. lib. 6. c. 16. ita nec omnis tristitia. 1. Non enim lapis aut truncus creatus est homo, qui nullis plane affectibus commoveatur: Sed carnis & flexibilibus affectibus præditus. 2. Nec etiam imitari nos vult Deus Democritum illum, qui ad omnia risit, nec etiam Heraclitum, qui ad omnem fortune flatum in fletum solutus fuit: sed ut pro re natâ modo gaudeamus & letemur; modo tristemur & doleamus. 3. Imò ut virtute gaudere laudabile est: ita vitio tristari ad cohibendum immoderate gestientem animum utile est. 4. Nec turpe est moderatè lugere conjuges, libros parvulos. 5. Quid? quod non commoveri & dolore malum à Deo immissum non solum vitium, sed & maxima in Deum impietas est. Valer. l. d. cap. 8.

XII. Plures verò ex tristitia exoriuntur perturbationes, ut sunt: Invidentia, æmulatio, angor, luctus, ærumna, dolor, lamentatio &c. quas Cicero enumerat l. 3. & 4. Tusc. quæst.

XIII. Breviùs hæc alij ad Quatuor species contrahunt: quarum, 1. est Misericordia, quæ est tristitia de malo alieno in quantum existimatur ut proprium. 2. Invidia, quæ est tristitia de bono alieno in quantum aliqui bonum alterius sibi existimat nocivum. 3. Anxietas seu Angustia, quando animus ita deprimitur, ut non videatur esse refugium. 4. Acedia, est quando aggravatio in tantum procedit, ut etiam exteriora membra ab opere immobilitet. Dicitur n. Acedia, ut Thomas loquitur, quasi vocem amputans. Est enim vox inter omnes exteriores motus magis exprimens conceptus et motus non solum hominum, sed & animantium. Thomas l. d. quæst. 35. Artic. 8. Damas. l. 2. de Orthod. c. 14. Pelargus in hunc locum.



XIV. Verum hæc & alias tristitiæ species, quæ & plures dari possent, non est nostri instituti operosius persequi, jam ad generaliora remedia, quibus tristitiæ mederi possis, properamus, deinceps in singulis virtutibus specialiora præscripturi.

XV. Cum enim appetitus (ait Cic. lib. I. off.) longius evagari aliquando soleant, & tanquam exultantes sive cupiendo sive fugiendo non satis à ratione retenti, sine dubio finem & modum transeant, relinquendo & abijciendo obedientiam, nec rationi parendo, cui sunt subditi lege naturæ, unde non modo animi perturbantur, sed etiam corpora, quis non (ut ne quid temerè aut fortuito, inconsideratè negligentèq; agatur) appetitus omnes contrahendos sedandosq; esse existimet? Quæ enim cum aliqua perturbatione fiunt, ea nec constanter fieri possunt, nec ab illis, qui adsunt approbari. Idem.

XVI. Remedia igitur adversus affectum tristitiæ adhiberi possunt tum Philosophica, tum medica.

XVII. Medica sunt. I. Balnea & somni. Per ea enim quæ restituunt naturam corporalem in debitum statum, repugnant Tristitiæ & ipsam mitigant, quæ secundum suam speciem vitæ corporis motioni contrariantur. Atqui per somnum & balnea natura reducitur ad debitum statum. 1. Quia somno & balneis dilatatur sanguis, quiescet animus à cogitatione malorum, habetq; spatium respirandi. 2. Gignuntur per somnum spiritus recentes haud infecti atro humore veteribus consumtis. Ergo. D. Thomas I. d. q. 38. a. 5. Savonarola in Ep. Phys. l. 15. Conc. 37. Scultetus cap. 3. p. 246. Ita D. Augustinus ut dolorem, quem ex matris Monica morte conceperat, abstergeret, ipso funeris die in balneum ivit: sed parùm profuit. Dormitum se conferens, posteaquam evigilavit, magnâ ex parte mitigatum dolorem deprehendit, & recordatus est versuum D. Ambrosij.

Deus creator omnium Poliç; Rector, vestiens  
Diem decoro lumine, Noctem soporis gratiâ,  
Artus solutos ut quies Reddat laboris usui,  
Mentesq; fessas allevet, Luctusq; solvat anxios;  
Testis est ipsemet lib. 9. Confess. c. 12. Zwinge. in vitæ Theatro Vol. I. l. I. pag. 71.

Exer-



XVIII. 2. Exercitatio modica. Hæc enim excitat 1. Calorem adversari-  
tem tristitiæ. 2. Excitat & reficit spiritus debilitatos. 3. Omnem crassiorem  
imminuit absunitq; materiam.

XIX. 3. Potus generosus, cibi boni succi sc. & humidi: cam-  
porum viriditates, cæli benignitas, auræ refrigerantes. Viues 3. de  
anim. p. 250.

XX. 4. Fletus & lacrymæ, 1. Quia omne nocivum interius clausum magis  
affligit: quia intentio anime circa ipsum magis multiplicatur. Sed quando ad  
exteriora diffunditur, tunc anime intentio ad exteriora quodammodo disgre-  
gatur, & imminuitur: & sic interior dolor, quasi per vomitionem egeritur. 2.  
Operatio conveniens homini secundum dispositionem in qua invenitur, dele-  
ctabilis est. Fletus autem & gemitus sunt operationes convenientes dolentibus.  
Ergo. Thomas l. d. q. 38. a. 1. Savan. l. d. concl. 37 Recte ergo Poeta:

Expletur lacrimis, egeriturq; dolor.

Sed hæc medica remedia ad medicos remittentes, hic quasi obiter vj  
ἡμετέροις ἐν παροῦσιν attingere volumus. Scientia enim & disciplina sibi mu-  
tuam debent præstare auxilium. Zabarel. lib. de Regressu c. 6.

XXI. Philosophica remedia sunt. 1. Magnitudo animi, eiusq;  
adversos in casus præparatio. Sic Anaxagoras nunciat a morte filij sese  
confirmasse legitur: sciebam inquit me mortalem genuisse.

XXII. 2. Despicientia rerum humanarum. Quid enim est in hac vita  
mortali diu, honor, fama, divitiæ, opes, pulcritudo? Omnia hæc mutabilia  
sunt, fluxa, caduca: Sola v. Virtus clara, æternaq; habetur.

XXIII. 3. Reputatio conditionis humanæ: qua nullis undiq; fortu-  
næ telis non est exposita, quorum pleraque vitari non possunt, quia non sunt  
in vestra potestate. Proinde a quo animo feras, quod non potes mutare: & si  
non datur vivere, ut volueris; vivas ut poteris.

XXIV. 4. Contemplatio veritatis & rerum altissimarum, 1. Quia  
hæc per se est delectabilis, & vim habet peculiare ad pellendam tristitiam. 2.  
Quia ubi eâ detinemur, à rebus molestis mentem avertimus, prohibemusq; ne  
tristitia crescat, neve in eadem animus obfirmetur. Thomas. l. d. Scula  
c. 3. p. 247.

XXV. 5. Compassio amicorum. I. Quia tristitia omnis aggravat &  
habet rationem oneris, à quo sublevari querimus. At quando amici suis conso-  
lationibus se participes faciunt nostræ calamitatis, tunc veluti sarcinâ in illos  
exoneratâ onere quasi sublevamur. 2. Quia per hoc quod amici dolent, percipit  
quis se ab eis amari & diligi, quod est delectabile. D. d. N. Savan. l. d. Concl. 37.

Deni-



XXVI. 6. Deniq; quælibet delectatio. Vt enim quies corporis reme-  
dium affert contra quamlibet defagationē ex quacunq; causa naturali pro-  
venientem: sic etiam delectatio sese habet ad tristitiam in omnibus motibus  
appetitivis. Aded omnis vehemens voluptas animum ad se trahit, ut 7. Eth. c.  
ult. & l. 10. c. 5. ait Aristoteles, ac intercapedinem affert molestia, ipsiusq;  
naturæ instaurationem. Dd. ll. Savan. l. d. Concl. 36.

XXVII. Tantum de affectu ex malo præsentē nempe de Tristitia:  
sequitur Affectus ex Futuro malo exurgens sc. Metus.

### DE METU seu TIMORE.

XXVIII. Metus est affectus mali futuri ortus ex spirituum co-  
arctatione & cordis compressione ob imminentis mali fugam. In  
hoc enim affectu fuga est caloris introrsum, eius quidem qui est extra cor, ver-  
sus cor: eius autem qui est in corde, in penitissima cordis: Vnde facile collige-  
re est, quare hi expallescant & tremant, calore nimirum deserente membra.  
Quin & subita interdum fit caloris mutatio, unde canicies inducitur.

XXIX. Obiectum per se Metus est malum; interim tamen etiam  
bonum respicere potest, secundum quod habet habitudinem ad  
malum; id quod dupliciter fieri potest. 1. In quantum per malum  
privatur bonum. Ex hoc enim aliquid est malum, quia privativum est  
boni: unde cum vitatur malum, quia est malum, sequitur ut malum vitetur,  
quia privat bonum, quod quis amando prosequitur. 2. In quantum bonum  
aliquod suâ virtute potest inducere aliquod nocumentum bono  
amato, & sic bonum ad malum comparatur ut causa ipsius. Confer. Savan.  
in Ep. phys. Concl. 33.

XXX. Causa timoris sunt: 1. Pericula; cuiusmodi sunt: Offensio &  
ira Dei, magna & inusitata tempestates, fulgura, fulmina. Item amissio ve-  
ræ religionis aut libertatis, excidium patriæ, infamia & dedecus nostri &  
nostrorum. Item fames, paupertas, exilium, morbi, pestilentia, prava quali-  
tates temporum, terræ motus, exundationes fluminum, item alia portentosa &  
prodigia, quæ Dei iram & publicas calamitates denunciant. 2. Iræ atq; of-  
fensiones eorum qui possunt lædere. Quando enim possunt & volunt,  
manifestum est rem malam instare. 3. Timentur astutii, vafri, callidi magis  
quàm simplices & aperti. 4. Timent qui sunt alijs formidolosi. Vives  
l. d. p. 253. Qui enim se metui volent, à quibus metuntur eosdem metuant  
ipsi nosse est. Cic. 2. off. Quem (ut præclare Ennius) metunt oderunt,  
quem quisq; odit perisse expetit. Rerum autem omnium nec aptius est quic-  
quid quàm diligere: nec alienius quàm timere.

Auge-



XXXI. Augetur verò Timor, cum nulla datur effugiendi malum rima, nulla repellendi facultas, cum nullum resistendi malo invenire valemus consilium.

XXXII. Datus verò est homini metus, ut caveat nocitura, priusquam se illi applicent. Vives 3. de anim. p. 260.

XXXIII. Effecta Timoris partim in corpore, partim in animo sese exerunt. 1. In corpore quidem pallor, horror, tremor, frigus, pilorum rigor, angustia. 2. In animo perturbatio & confusio cogitationum. Vives l. d. pag. 255.

XXXIV. Præterea & hic affectus, ut & alij ferè, suspiciosus est: & meticulosi omnes suspicaces, omniaq; auget in majus: nec unquam tantum est periculum, quantum sibi fingit. Vives l. d. p. 257.

XXXV. Metui Opponuntur. 1. securitas, quum nullum remur esse periculum, idq; vel ex consideratione, vel ignorantia.

XXXVI. Ex consideratione. 1. Cum defuncti periculo nullum censemus restare, propterea quod antea sapius ex hujusmodi periculis salvi evaserimus. 2. Quando in universum omnia despicientes, quæ instant nihil ad nos putamus pertinere. 3. Quando curam abjecimus illius boni, quod periculo impetitur. v. g. Qui divitiarum, vitæ, & quod pari cum hac passu ambulat, fama curam omnino abjecit, nihil is habet, quod de his sit sollicitus. Idem l. d. p. 258.

XXXVII. Ex ignorantia, quando videlicet periculi in quo versamur magnitudinem ignoramus, aut non perpendimus: v. g. dormientes, pueri, inexperti. Quia enim metus ex periculi consideratione nascitur, ideoq; qui plus considerat, plus timent, ut prudentes, sobrii, experti: qui verò omnibus omnino cogitationibus relictis in diem vivunt, minus timoris aculeos sentiunt. Idem.

XXXVIII. II. Fiducia: quum in periculo confirmamur adversus mala appetentia. Oritur verò vel aucto intrinsecus calore, ut viko iniecto, aut ijs que corroborant cor, vel affectu aliquo furenti, ut irâ, amore, cupiditate, metu maioris mali, que maximam in animo partem animositatis habent. Sic de Timotheo Musico literis proditum est, quod lyra cantibus Alexandrum Macedonem & incitarit ad arma, & paulo post mutatis numeris sedavit. Idem l. d. p. 259.

XXXIX. III. Audacia: quum ad depellenda mala; vel ad bona ardua consequenda animus exurgit & rapitur. Audax enim quasi Bacho plenus, sine omni consilio, sine omni ingenio furit & fremit, suaq; temeritatis panam sepiissime non sine sanguine persolvit, viribus & lacertis nimium confidit, de vastitate corporis & innumeris suis victorijs frequenter & trasonice gloriatur.

B

Porro



XL. Porrò à nonnullis hæ species timoris numerantur: 1. Segnities: quæ timor est laboris vires excedentis, quo aliquis tardatur ab opere. 2. Erubescencia; quæ est timor iacturæ existimationis bonæ ob turpe opus gestum. Erubescimus enim si quis nobis obijciat scelera, cum tamen in perpetrando nullus nos timor remoretur. 3. Verecundia, timor est iacturæ existimationis ob malum futurum, quod quis designare statuit. 4. Admiratio, est timor magni alicuius mali, cuius nequeat quis reperire exitum. 5. Stupor, est timor alicuius mali, quod propter novitatē & inexperientiam ingens videtur. 6. Agonia. timor est alicuius mali, cui ipse quidem timens nullo modo possit occurrere. D. Thomas l. d. quæst. 41. art. 4. Damasc. l. 2. de Orthod. fid. c. 15. Pelargus hunc in locum pag. 69. Sauban. l. d. Concl. 46.

XLI. Quemadmodum autem audax more leonis in omni suscipiendo periculo modum fortitudinis superat: ita timidus ac meticulosus homo longissime à medio rationis deflectit. Est enim pavidus fractusq; ingenio qui, omnem flatum adverse fortune timet. Quis enim carnifex addictum supplicio crudelius torqueat quàm metus? metus inquam mortis, infamiae cruciatus? Sunt illæ altrices furie, quæ tyrannos agitant, ac sempiternis terroribus diu noctuq; excruciant, tum invidia, suspicio, trepidatio, ultionis cupiditates, ac mille perturbationes secum disidentes, mentem de sanitate dedurbant ac multo acerbius fauciant & pungunt, quam crudeles domini servos vinculis, fustibus ac tormentis exulcerare possint. Hoc novit Dionysus, hoc novit Nero pessimus fuisse custodem diuturnitatis Metum. Bodinus l. 2. de Repub. Casus in Spec. moral. quæst. l. 3. c. 7.

XLII. Remedia quod attinet, ei qui ingenij sui nutu ad metum devertit, vix rationes ullæ ac cohortationes sufficiunt, ut animum resumat & sese erigat ad fiduciam: Interim huic affectui sequentibus hisce nonnihil medeberis.

XLIII. 1. Si impendentia mala assidue tecum commenteris. Nova enim subita inopinata animos quantumvis fortes percellunt ac consternunt. Tela vero prævisa minus feriunt. Seneca. Quæ enim prævidimus, quæ multum versando cogitatione fecimus iam quasi familiaria, minus urgent. Meditatio enim illa pro assuefactione fuit patiendi, ut quasi callum animo induceremus. Vives l. d. pag. 260. Sauban. l. 15. Epit. Phys. concl. 44.

XLIV. 2. Si persuasum obfirmatumq; sit mala quæ timentur, non esse admodum damnosa: aut alia parata esse maiora bona, si illis defun-



defungamur malis : aut majora mala, si illa, quæ urgent, non de-  
vitemus ac superemus. Vives l. d.

XL 3. Si animo occurrat timorem ipsum magis officere, &  
incommoda graviora reddere : *ut in contagiosis morbis, in quibus  
multum nocet mali phantasia, pullulat enim metus geminus, alter ex periculo,  
alter ex metu ipso.* Idem.

XVI. 4. Si in aliena exempla intuentes animum nostrum adver-  
sus impendentia mala nonnihil corroboremus & muniamus, *co-  
gitantes, ille & ille hunc periculorum malorumq; ictum sustinuit, adversam  
fortunam superavit, quid est in me minus? Pulcrum enim est ex aliorum ex-  
emplis aliquid addiscere nobis quod ex usu fiet.* Vnde rectè Hortatius.

**Felix quem faciunt aliena pericula cautum.**

*Eo enim sumus erectiore animo, quo nos præstare illis arbitramur, qui  
fortiter eadem pericula & subierunt & evaserunt.* Idem.

XLVII. 5 Si pericula rectè æstimentur ex circumstantijs, ex loco  
ex tempore, ex personis vel nobis ipsis, vel ex inimicorum viribus.  
*Horum enim omnium consideratio, uti nonnunquam gravat periculi opinio-  
nem, sic etiam maxime levat, imprimis quando videmus parùm nobis posse  
nocere hoc tempore, hoc loco, ab his qui nolunt vel ob amorem nostri, vel ob ip-  
sorum bonitatem : ab his, qui non poterunt, qui carent viribus : ab his, qui non  
audebunt, quia non noscunt se habere vires, vel quod omnino non habent, vel  
eas non intelligunt : ut equi, tauri, & multi hominum.* Idem.

XLIII. Tantum de affectionibus ex obiecto malo tam præsentem  
quàm futuro simplicibus : Sequuntur MIXTÆ seu Compositæ,  
quæ ex pluribus constant animi motibus, ut sunt Odium Ira  
&c.

## DE ODIIO & IRA.

I. Odium est affectus cum ex obiecto, etiam absentis averfati-  
one, cor coarctatur, ejusdemq; obiectu constante repellendi incli-  
natione dilatatur. Scaliger definit appetitum amovendi rem ali-  
quam. Scal. Exer. 316.

B 2

Nascitur



II. Nascitur v. odium. 1. Ab amore sui : quo pacto perditū & scelerati odio habēt leges & magistratus, ut sibi infestos. 2. A re ipsa, quam averſamur. v. g. Boni oderunt improbos, à quibus tamen non timent. 3. Ex offensione animi, malum quod videtur auersantis, & alicuius vel factō vel dictō lesi, vel se lesū opinantis. 4. Ex occulta quadam vi naturæ, sic ovīs odit lupum : Leo gallum gallinaceum : Ibis serpentem. Arist. l. 9. hist. anim.

III. Differt odium ab invidia. 1. Illud est apertum; hæc occulta. 2. Illud nascitur ex eo quod lesisse vel lesurus videatur, quem odimus; hæc ex alterius rebus secundis, quæ nihil invidenti nocent. 3. Illud non solum hominum, sed & reliquorum animantium est; hæc verò tantum est hominum. Plutarch. lib. d. Invid. & Odio. Valer. in descript. Ethices. c. 8.

IV. Opponitur verò odium amorī ut negatio. Affirmat enim amor cum ad bonum tendit. Odium negat, cura recedat à malo : quodq; affirmatio & negatio prestat in mente, hoc amor & odium exercet in appetitione. Ar. 6. Eth. c. 2.

V. Remedia generalia hic eadem adhiberi possunt, quæ & contra iram, de quibus paulò post. Interim peculiariter hæc notentur. 1. À amore omnes conciliamur : odio disjungimur, quo nihil est humana vitæ perniciosius. 2. Odium eo gravius est, quo premit occultius. Omnis enim odij nulla species capitalior est, quam eorum, qui tum cum maxime odio alios prosequuntur, id tamen agunt, ut amici esse videantur, ut Cic. de iustitia loquitur. Apertè enim ( eodem Cicerone in Amicitia teste ) vel odisse magis ingenuum est, quam fronte occultare sententiam. 3. Odisse vitia prodest; at hominem amare. 4. Christiana charitas iubet & peccandi noxam remittere Luc. 17. si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & si penituerit, remitte illi. Matth. 18. inquit Petrus ad Christum: Domine quoties peccabit in me frater meus & remittam ei, num usq; septies? Respondet Christus: Non dico tibi usq; septies, sed septuagies septies. Et si septies in die peccaverit in te, & septies in die conversus fuerit ad te, dicens, penitet me: remitte illi. Atq; usq; adeò pater celestis omnem inter Christianos odij suspicionem sublatam vult, ut & si non remittamus alter alteri errata sua, nec nostra peccata remissurus sit. Matt. 6. Marc. 11. 5. Nulla de causa quemq; odisse perquam absurdum est, & à recta ratione alienissimum.

VI. Cæterum ad odium plures affectiones referuntur, quæ viro bono aut corrigendæ sunt aut fugiendæ, ut Contemptus, Ira, Inimicitia.

Con-



VII. Contemptus est affectus animi, quo quis alium se putat abjectiorem. Oritur contemptus ex nimia *Ὀλουργία*: eo enim ipso quod quis sibi nimium tribuit, alteri detrahit, quod existimet se solum alba gallina filium; alios infelici syderenatos, nec doctrinam, nec moribus, alijsq; fortuna bonis secum conferendos esse.

VIII. Ex contemptu sæpissimè oriuntur rixæ, contentiones, bella, cædes, quando videlicet contemnens & qui contemnitur incertamen descendunt. Certamen enim, inquit Basiliius, excitat convitium, convitium verbera, verbera vulnera, vulnera demum ex quibus & mors sequitur.

IX. Remedia. I. At quid habes homo, quod non acceperis, si accepisti, quid gloriari quasi non acceperis? I. Cor. 4. v. 7. 2. Pavonum more respiciens quæ in te sunt turpiora, continuò rotam vanitatis dissipabis. Adèò nulla est causa, cur se quisq; alijs preferendum putare debeat. Ludov. Granat. in duce peccatorum l. 2. parte 1. p. 544. 3. Quanto major es, tantò debes esse submissior. Cic. 1. off. 4. Eò magis à contemptu abstinendum est, quò severius nos Christus & diligentius ab eo avocare studet. Matth. 18. & 20.

X. IRA est affectus ex incensione sanguinis & spirituum circa cor, ita ut cor ex objecti præsentia coarctetur, & mox etiam, tanquam objectum repellere cupiens, dilatetur. Alij brevius definiunt quod sit libido puniendi ejus, qui injuria læsisse videtur. Quo & Inimicitia pertinet, quæ iræ ulciscendi tempus observat. Cic. De hac infra & suo loco.

XI. Consideratur autem ira bifariam vel ut est affectus, & sic est materia mansuetudinis, vel ut habitus ex multis actionibus acquisitus, & sic est oppositum magnitudini, & hoc modo nihil est aliud, quam iracundia, quæ habitus vitiosus dicitur.

XII. Oritur Ira dum percipimus ab aliquo injuria affici, lædi vel impediri, pro assequendo fine, injuria enim inter homines versatur, in quibus jus & injuria locum habet.

XIII. Licet verò homo nonnunquam etiam cum supernis causis, vel secum, vel cum feris, & rebus inanimatis irascatur; propriè tamen ira inter distinctos homines versatur, in quibus (uti modo dictum) jus & injuria verè locum habent. Si quis autem alij alicui rei inanimatae sc. vel feris, vel sibi ipsi &c. succenscat, propriè ira dici nequit. Omnis enim ira est quidem fervor sanguinis circa cor: at quod sit appetitio vindictæ, tantùm de propriè sumta ira rectè dicitur, de alijs iræ gradibus minus propriè. Savan. in epit. phys. conc. 50. Piccol. gr. 1. c. 35.



XIV. Quia verò Ira affectus mixtus est è tristitia & ulciscendi cupiditate: ideoq; duplex in eo est objectum. 1. Malum præsens, quod movet tristitiam, apprehenditur enim hic ad rictio, & quasi compressio cordis orta ex præsentem & instante malo, quod à se depellit cor, & hac affectione effectus est depulsionis, Scal. Exer. 313. 2. Objectum desiderabile movens desiderium & cupiditatem ulciscendi & puniendi ejus qui læsisse videtur: & ita ulcisci se cor cupiens, quasi è sedibus suis exsillire gestus, & propterea non ut in metu aut tristitia sanguis ad cor intro refugit; sed effervescent circum præcordia magno cum impetu foras emittitur ut signa iræ in facie & omnibus membris conspiciantur, propter motum sanguinis & spirituum confusionem, Confer Savan. in Ep. Phys. lib. 15. Coel. 33. & 34.

XV. Quamvis autem hæc duo Iracundia & ira nomine sæpe confundantur: re ipsa tamen differunt. Iracundia enim significat naturalem quandam inclinationem & propensionem ad irascendum: Ira vero est ipsa excandescencia. Senec. lib. 1. de Ira. Inter iracundum & iratum tantum interest, quantum inter ebrium & ebriosum, timentem & timidum. Cic. lib. 4. Tusc. Iracundia ab ira differt ut anxietas ab angore, ut inter ebrietatem & ebriositatem interest, & aliud est esse iratum, & aliud iracundum. Iracundia enim habitum, ira affectum significat: est enim iracundia veluti præmeditata malitia, ira vero præceptus animi ad ultionem incitatio.

XVI. Iræ tres species constituit Aristoteles 4. Eth. 5. 1. est levis Animi concitatio. 2. Furor. 3. Acerbitas. Prima in biliosis, secunda in melancholicis, tertia in pernitiosis cernitur. Prima est brevis furor, secunda est quedam natura perversitas, tertia est implacabilis contumacia & beluina feritas, qualis fuit illa Neronis matrem, præceptorem, & seipsum vitâ privantis; Et illa Astyagis, qui Harpago suum ipsius filium devorandum apposuit. De quibus singulis nos suo loco.

XVII. Et hic affectus omnium turbulentissimus est, adeo ut mentem conturbet, & à statu suo dimoveat, ut non videatur idem homo esse. Lact. de Ira c. 5. Et Cicero dicit iratos de potestate sua abuisse. Cor enim velut ex castris suis erumpere conatur, & sanguinem ac spiritus, tanquam milites emittit ad propulsandum objectum. Hoc tanto motu incalcescit cor & inflammat spiritus & sanguinem, turbantur actiones omnium membrorum propter motum sanguinis, & spirituum confusionem.

Præ-



XVIII. Præcipuè verò hoc affectu cerebrum offenditur, quod inflammato & agitato sanguine & ardentibus spiritibus ipsum quoque incalescit & concutitur motu sanguinis, spirituum & nervorum, qui ad cor propagati sunt. Unde vehementem iram comitantur phreneses, ut in Ajace, & interdum apoplexia. Hinc Sanderbejo concipienti flammam indignationum ante prælium labra scissa esse, & multum sanguinis erupisse scribitur. In ira enim bulliente sanguine in toto thorace, intumescit & pulsatur diaphragma, & fit turbidi motus. Philippus in lib. de Anim.

XIX. Præterea Ira est similis insaniam Cic. 4. Tusc. An est quidquam similius insaniam quam ira, quam bene Ennius initium insaniam dixit. Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum, atque factorum quam habent partem sanitatis? Et lib. 1. off. inquit Cicero: Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua aut metu commoti sunt, aut voluptate nimiam gestiunt, quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Hinc Seneca gravissimè attestatur iratum omnia furentium signa habere. Nam (inquit) ut furentium certa indicia sunt, audax & minax vultus, tristis frons, torva facies, citatus gradus, inquieta manus, color versus, crebra & vehementius acta suspiria: ita irascentium eadem sunt signa, flagrant & micant oculi, multus ore toto rubor, & æstuante ab imis præcordiis sanguine, labra quatuntur, dentes comprimuntur, horrent ac surriguntur capilli, spiritus coactus ac stridens, articularum seipsos torquentium sonus, gemitus, mugitusque, & parum explanatis vocibus sermo præruptus, & complose sæpius manus, & pulsata humis pedibus, & totum concitum corpus magnasque minas iræ agens, fæda visu & horrenda facies se depravantium atque intumescientium. Nescias utrum magis detestabile vitium sit, an deformis. Cetera licet abscondere & in abdito alere: ira se profert, & in faciem exit, quantoque major hæc est, effervescent manifestius. Bene ergo Horat. lib. 1. Ep. ad Lollium nec minus scitè, quam sapienter inquit.

Ira furor brevis est animum rege qui nisi paret,  
Imperat, hunc frenis hunc tu compesce catenam.

XX. Etsi autem difficile est iracundiam cohibere potissimum adversus improbos, id quod exempla quam plurima, præsertim vero Claudij Imperatoris testatur, is enim cum accusatorem tot ac tam multa scelera de eo narrantem audiret, continere sese non potuit, quin turpiter & contumeliosè pro tribunali gladium in os ejus produceret. Træquil. in Claud.  
Quanto



Quanto enim quicquid melior est tanto difficilior inquit Theophrastus adversus improbos ira undam cohibere potest, quin aliquando in furorem erumpat. Senec. l. 3. de Ira. Nos tamen & hic medicos imitantes nonnulla iratis, prescribemus remedia. Ira enim (inquit Cic. 1. off.) in omnibus rebus repudianda est.

XXI. Remedia igitur quibus Iræ non nihil mederi poterimus, istæ hæc sunt. 1. In nosmetipsos descendamus: Et quis enim tu es o homo, qui levissimis etiam de causis ita temerè aliis succenses? Scilicet tu solus nulli & nusquam impingis? tibi soli Pallas omnibus heris adstat, & accommodat aurea fræna? An non in mentem venire potest illius parabola, de rege conferente rationes cum servis suis, quam Christus habet Matth. 18. An verò amicam illud humanitatis nomen planè apud te exspiravit?

XXII. 2. Rebus minutis non iritemur; & ut dicitur propter lanam caprinam, ne (ut Cic. ait) ira major sit delicto: sed solum propter magnas & justas causas, pertinentes ad vindicationem & defensionem honoris & cultus divini, patriæ, libertatis, legum parentum, conjugum liberorum, fame, existimationis ac similibus rerum. Ecquid enim ridiculum magis, quam tantulum, tam imbecillum animalculum (hominem scilicet) sic ferocire ac furere? Et tantas Tragædias, tam atroces de vilissimis rebus excitare, ut de corporeis, de fortuitis, etiam, si Dijs placet, de uno verbulo? Vives in introd. ad sapientiam.

XXIII 3. Illud animo præceptum & fixum teneamus: Injuriam non fieri nisi lædatur animus: cui à nemine noceri potest, nisi à possidente, introducto in eum vitio. Ibidem.

XXIV. 4. Quotidie meditemur iracundiæ esse resistendum. Non enim decet nos nimium esse vindictæ cupidos, sed facile honestis rationibus placari. Ira enim justo diutius retenta affligit animum, & tandem convertitur in odium. Hinc Paulus præcipit Eph. 4. Sol non occidat super iram vestram. Toties enim inquit servator noster ignoscendum est fratri, quotiescunq; deprecatus fuerit Matth. 18. Hac de re pulcherrimum nobis ob oculos ponitur præceptum apud Ciceron. 1. Ep. 1. 1. Is enim ad Q. Fratrem, qui naturam suam iracundior erat, eum ad mansuetudinem perducturus ita scribit. Toto in imperio nihil acerbum esse patere, nihil crudele: at omnia plena clementia, mansuetudinis, humanitatis.

XXV. 5. Vindictam in aliud tempus differamus, ne videlicet vehementi illo affectu abrepti in primo iræ fervore committamus aliquid vel agamus, quod est vel contra honestatem, vel nobis potest obesse: sed patiamur nos cum paululum restingui. Nunquam enim iratus qui accedit ad  
penam



penam eam servabit mediocritatem, quae est inter nimium & parum. Cic. 1. off. Cum ira enim inquit idem, nihil recte fieri, nihil considerate potest. Hoc pacto Architam iratum se repressisse legimus apud Cic. 4. Tusc. qui cum factus esset iratior villico suo: Quo temodo (ait) accepissem, nisi essem iratior? Et Plato iratus volebat servum cadere. Val. Max. lib. 4. Et scitum est Athenodori Philosophi consilium: Ille enim rogatus olim ab Augusto casare ut aliquod sibi monumentum relinqueret, hoc inquit, relinquam Caesar: si contigerit te irasci, nihil prius dixeris fecerisq, quam 24 literas, recitaveris. Novit hic vir sapiens iram principis esse unguem leonis: ideoq, hoc cognomen Clementiae ac mansuetudinis Casari exoptavit Hinc Statius Poeta lib. 8.

————— Ne frena animo permitte calenti  
Da spacium, tenuemq; moram, mala cuncta ministrat  
Imperus, &c

Cuius rei rationem reddere voluisse videtur Ovidius l. 1. de arte amandi:  
Ut fragilis glacies interit ira mora.

XXV. 6. Proponamus nobis vitae communis incommoda. Est enim permolestissima cum hominibus iracundis conversatio & consuetudo: Sed incollerabilis cum iisdem, si superbi sint & maledici. Quis enim non merito aversetur eum, qui aut in serijs consultationibus, aut tempore gaudij & letitiae, neq, in irascendo, neq, in puniendo sese cohibere possit? Vide optima apud Senecam cerum parte. 1. paedag. 154.

Et haec quidem de affectibus ex obiecto malo, tam simplicibus, quam mixtis: nunc pro more nostro ad questionum quarundam enodationem accingimur.

## QVÆSTIO I.

An affectus sint naturaliter animis nostris ingenerati:  
an verò usu acquisiti & voluntate comparati.

Naturales quidem esse constat, ait Lactantius l. 6. c. 15. quod omnium hominum sunt communes, nec cuiusq, proprij, naturaliter enim omnes affectibus concutimur: haec (loquitur de affectibus) naturalia esse non voluntaria, omnium viventium ratio demonstrat, quae iisdem omnibus quatur affectibus: sic etiam bruta animalia, alia alijs obnoxia sunt affectibus, lepus metui, ira leo. &c. Hinc Donaldsonus: Affectus, inquit, natura nobis esse ingenitos ex se liquet, quod omnibus ferè animantibus propensiones quasdam naturales inesse videamus: unde σοφὸς seu amor ille naturalis parentum in liberos, qui se ad omnes animantes extendit Donald. l. 2. Eht. c. c. 7p. 114.

Cæterum affectus non tantum naturales esse, sed & voluntatis aliquid habere difficulter ostendi haud potest: siquidem disciplina na-



naturales illi motus vel augmentur vel minuuntur. Cum enim quotidiana exercitationes ad naturales eas affectuum propensiones accedunt, maiores fiunt, ut si quis pronus ad iram sepius irascitur, is fiet propensissimus.

Pro decisione notandum, quod distinguendum inter primum affectuum originem, & eorundem confirmationem. Verissimum enim est in ipsa natura inesse prima eorum semina, vel inclinationes, vel propensiones, qualitates seu facultates irascendi, letandi, tristandi, sperandi &c. si nimirum res obiectae inclinationes istas excitent: non autem consuetudine seu usu primum excitari & ingenerari. Itaque affectuum origo nobis est naturalis: semina enim eorum animis habemus infusa; postea verò accedente usu fiunt consuetudinarij: ita enim commodius dici videntur, quam voluntarij. Vide Lactantium loco supra citato, Valer. in descript. Ethices. c. 3.

## QVÆSTIO II.

Cum ergo affectus nobis sint naturales, utrum suâ naturâ sint vitiosi?

De hac quidem Quæstione quid statuendum, prolixè fuit ostensum præcedente disput. q. xi. hic paucis rem illustramus. Omnes enim affectus esse vitiosos fortè sic poterat ostendi. 1. Quia sensus carnis mors est, itemque inimicissima erga Deum. Rom. 8. v. 7. Naturâ sumus filij iræ. Eph. 2. v. 3. Nec cogitare quidem quidquam boni per nos possumus. 2. cor. 2. v. 5. Omnis sensus & cogitatio humani cordis prona est ad malum omni tempore. Gen. 6. v. 5. & Gen. 8. v. 21.

Verum repetimus hic distinctionem inter bonitatem naturalem & moralem: illa affectibus non est deroganda, quantumvis hæc maximè careant. Præter rationes quas loco citato adduximus, & hæc duas afferimus. 1. Quia vidit Dominus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona. Gen. 1. Atqui conditus fuit homo ad imaginem & similitudinem Dei, cuius pars præcipua fuit dilectio Dei & proximi. Proinde historia status hominis adhuc integri refert, Adamum inspecta Evâ amorem suum erga ipsam singularem verbis valde amabilibus prodidisse: hoc est os de osibus meis, & caro de carne mea. 2. Quia in Deo vivimus, movemur & sumus. Act. 17. v. 28. Atqui & affectus sunt animi motus. 3. Quia D. Apostolus etiam de ijs, quæ post lapsum creantur verè dicit: Omnis creatura Dei bona est. 1. Tim. 4. v. 4. Atqui & affectus sunt à Deo creati, ut patet ex prima ratione. 4. Quia Deus mandans affectus & vitium eorum prohibens, disertè inter rem eiusq; vitium discernit. Psal. 4. Eph. 4. Irascimini & nolite peccare, Matt. 5. v. 22. Quisquis irascitur fratri temere, reus erit iudicij.

Pro



Pro decisione ergo, quoad rationes supra allatas hæc notanda theoremata: I. Sicut totus homo: ita & affectus omnes sunt quidem vitiosi, si nimirum de perfectione hominis Theologica loquamur. *Sine fide enim & Spiritu S. fieri non potest, ut qui placeat Deo. Quicquid enim ex fide verâ & Spiritu S. non proficiscitur, peccatum est.* Ebr. II. Rom. 14. interim tamen non sequitur affectus prorsus omnes in homine esse vitiosos, etiam eos, qui insunt fidelibus ac regeneratis à spiritu sancto. II. In hac corruptâ naturâ, in non regeneratis etiam affectus quidam boni sunt, Philosophicè loquendo, qui tametsi non salvent aut beent; tamen in hac corrupta naturæ constitutione Deo per se non displicent. Sel nec. in Pædag. parte I. pag. 24. 323. *Quemadmodum ergo Medici dum ægrotos curant, non id agunt, ut omnem in illis ciborum appetentiam extinguant; sed eam tantum intemperiem appetentia, ex quâ morbus nascebatur, tollunt: ita neq; affectus omnes à nobis tollendi sunt, ut à vitio sanentur, sed in nobis lege Dei & rectâ ratione sunt regendi & mitigandi.*

### QVÆSTIO III.

Vtrum affectus per solam rationis cohibitionem; an verò ante omnia Spiritu S. renovati & domiti moderationem capiant Christiano dignam?

Præcedenti disputatione quæst. 15. dubium istud excusimus: An sit eadem pugna rationis & appetitus de qua Philosophi: & lucta ista carnis & Spiritus, de qua Theologi? Iam ut res illa sit magis in claro, ulterius in quæstionem vocamus: Utrum affectus capiant moderationem Christiano dignam per istâ rationis moderationem; an verò inprimis S. S. moderationem hic intervenire necessum sit? Ratio dubitandi: Quia & moderatio Philosophica & Christiana mundatio utrinq; præcipit, affectus à vitio liberos esse debere. Nos posteriori quæstionis parti calculum nostrum non immeritò adijcimus: Quia Philosophia externum duntaxat, & hoc suo iudicio culpabile potissimum taxat: at Theologia, uti vitium penitus censet, ita accuratorem medicinam adhibet. I. Sapientia humana consistit in reductione affectuum ad mediocritatem, quæ est à nimio & paucò ad convenientem medietatem deflectio. Ad hanc enim regulam Aristoteles decurrit 2. Nicom. 6. *Sicut in multis rebus aliis mediocritas conveniens est naturæ hominis, ut in calore, frigore, cibo, potu, voce & in omni motu: ita statuit etiam generaliter affectuum mediocritatem convenire natu-*



*re, ideoq; virtutes etiam definiuit esse mediocritates affectuum. Hanc autem sacrae litterae non prohibent; sed tamen. I. Tenuiorem iudicant, quam quae sufficiat in conspectu Dei. 2. Praeterea non iudicium hominum respiciunt; sed Dei, qui ad fontem vitiorum intuitus, de consilio, quod ipsi probatur, correctionem veriore postulat. Confer magnum istum, Chemnit. p. 2. locorum Theol. in explicatione, 9. & 10. praecipiti. II. Evincent hoc discrimina quae mundationi huic spirituali cum Philosophica moderatione intercedunt. I. Causam efficientem purgationis affectuum Philosophia statuit ipsam rationem hominis. Hac autem moraliter non nihil corrigit, ne affectus doctrinam ipsam plane excutiant, & contra externam disciplinam ad turbendam privatam & publicam tranquillitatem nimium furiant & debacchentur. Atqui ver & ipsa ratio vitiosa est, & quandoq; cum affectibus ita ei convenit ut & sibi, & istis perperam abblandiatur. Imò in rebus spiritualibus ratio & appetitus nusquam inter se invicem pugnant, sed socias jungunt manus, & conjunctione facta oblectantur Spiritui. Vide disp. praeced. quaestionem 15. Econtra Theologia nihil efficientis causae ex homine originaliter promit, sed Spiritu S. per verbum & Sacramenta efficacem, docet regenerare naturam hominis, ut ab eodem renovata postea carnem cum affectibus ei subiciat & mortificet: adeo ut quoties mens renata suadet moderationem, & voluntas obtemperans ciet cor purificatum sanguine Christi, tum quidem vires hominibus ad temperandum affectiones agant; sed illae non naturales & carnales, verum spirituales, quibus ipse spiritus utitur, cuius solius est, quicquid bene agitur. 2. Causa formalis Theologicae moderationis post divinam quandam purgationem fontis affectuum est ipsorum affectuum quaedam purificatio: & quidem primaria & plenaria per justificationem, quae fide toti personae credentis obtingit, quam comitatur renovatio quantitativa, quae non est hac in vita perfecta, ut justificatio, & tamen longè major cohibitione affectuum, quam Philosophia suadet & efficit, quaeq; subinde spiritus beneficio incrementa sumit, Deo interim regente in credentibus residuas infirmitates. III. Philosophus externam quandam hominis utilitatem & dignitatis alicuius humanae cum gloria & existimatione propria comparationem spectat & venatur: Christiana verò sanctificatio & gubernatio ante omnia refertur ad Dei gloriam, atq; hominis humilitatem & subjectionem. Ex officina Theologica Hoffmani. p. 322. Confer disputat. V Vinckelmanni de carne & spiritu tom. 3. disputat. Marp. disp. 11.*

FINIS.



Fc 1249.  
gn

ULB Halle 3  
003 422 747




Bitte noch kein  
Sammelbd. verwenden  
nach Ausleihe  
an Retro-Ecke  
OK  
Zurück!

VD 17











Inches  
Centimetres

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

RATIO VI.  
ONVM ETHICARVM  
De  
TO VIR  
RALIVM, VIDE  
TIBVS, TRISTICIA,  
cognatisq; affectionibus  
Quam  
TE ET DOCENTE,  
ademia VVitebergensi  
RESIDE  
O VELSTENIO  
ralis Professore publico,  
endam suscipiet.  
BERGMAN HILDE  
iã-Saxo.  
boris locoq; consuetis.  
ud. Vives.  
ur curando corpori: major ad-  
o hujus morbi & occultiores  
osiores sunt.  
EBERGÆ  
vianis Anno 1607.

40